OBSERVATIONES IN CASSIUM DIONEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOANNES MAISEL.

BEROLINI 1888.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT.

OBSERVATIONES IN CASSIUM DIONEM.



Observationes in Cassium Dionem.

Quae ex Cassii Dionis rerum Romanarum libris octoginta ad hunc diem permanserunt, ex multis maioribus minoribusve partibus sunt composita, non eodem cuncta die, sed disiecta variis temporibus iisque magnis inter se intervallis seiunctis inventa. Quarum partium quando prima in manus philologorum pervenerit, minime liquet; verumtamen verisimile putes, hoc seculo quinto decimo factum esse, quo Aurispa, Bessarion, Cyriacus aliique homines docti colligendis scriptorum veterum codicibus manuscriptis magnam neque irritam operam dederunt. Nobis vero qui noti sunt, eorum primum Leonicenus[1]) libros XXV in lucem protulit eosque ex Graeca in Italicam linguam translatos. Cuius editionis exemplaria cum Nicolai[2]) anni 1526, Reimarus[3]) anni 1542 commemorent, mihi praesto est aliud, quod Venetiis anno 1533 prelum subiit „opera nuovamente venuta in luce“. Neque vero qui huic volumini praefationes praemittunt, quicquam de eo codice disserunt, quo usus est Leonicenus; quamobrem quae comparanti mihi illius versionem cum aliorum editionibus memorabilia sunt visa, paucis exponere mihi liceat.

Non parvi momenti ea essent, quae Robertus Stephanus[4]),

---

[1]) „Historia delle guerre et fatti de Romani. Tradotto di Greco in lingua vulgare per M. Nicolo Leoniceno.“

[2]) „Griechische Litteraturgeschichte in neuer Bearbeitung“, Magdeburg 1873—78.

[3]) „Cassii Dionis Cocceiani historiae Romanae quae supersunt“ ed. Hermannus Samuel Reimarus. Hamburgi 1750.

[4]) „Τῶν Δίωνος Ῥωμαικῶν ἱστοριῶν εἰκοσιτρία βιβλία . . . Lutetiae, ex officina Rob. Stephani“ . . . 1548.

cui editionem principem Graecam Dionis debemus, de Leoniceni versione dicit, cum ex ipsius Roberti castigationibus non dubium sit, quin illa versio in eius manibus fuerit; dicit enim, Leonicenum alio ac se codice usum esse. Sed Robertum obiter tantum hanc versionem inspexisse iam Reimarus cognovit. Quod facile demonstrari poterit, si primum eos locos, quorum in lectione Leonicenum a se discrepare Robertus dicit, deinde nonnullos alios perlustrabimus.

Primus horum locorum est in libri 39 c. 34, ubi codices: πρὶν ὁτιοῦν τῶν ἑωνουμένων, quod depravatum est. Leonicenus hunc locum ita reddit: „avanti che dicesse niente di quello ch' era necessario". Editores huic loco alii aliter mederi student; Leunclavius[1]), τῶν εἰκότων λέγειν, Pflugk (emendationes ad D. C. Zeitschrift für Altertumswissenschaft von Bergk & Caesar, Cassel 1846): τῶν Τρεβωνίου νόμων vel τῶν καινοτομουμένων μεμνῆσθαι, H. J. Heller (Philologus 1864, 149) τῶν προςκειμένων εἰπεῖν, Bekker[2]), Grosius[3]), Dindorfius[4]) πρὶν καὶ ὁτιοῦν τῶν ἐπειγόντων εἰπεῖν. Mihi coniecturarum Leunclavii et Bekkeri partes coniungendae videntur, ut legam: τῶν εἰκότων εἰπεῖν, quod εἰπεῖν post εἰκότων propter pares initii literas facile omitti potuit et quod ἐπειγόντων εἰπεῖν longius spatium quam pro ἑωνουμένων occupare mihi videtur. Cum autem omnes coniecturae eundem fere sensum praebeant, eum, qui ipsius Leoniceni versione exprimitur, non video cur hoc loco huic versioni alius codex supponendus sit.

Non aliter res se habere videtur in libri 40 c. 41, ubi codices: πεσὼν δὲ ἐς τὸ γόνυ τώ τε χεῖρε ποιήσας, quod recentiores editores mutant in πιέσας. Cum Leonicenus hunc locum vertat „elevando le mani", apparet, eum nonnisi tentare voluisse, quo-

---

1) „Dionis Cassii Cocceiani historiae Romanae libri XLVI, partim integri, partim mutili, partim excerpti: Joannis Leunclavii studio tam aucti quam expoliti . . . . Hanoviae 1606."

2) „Cassii Dionis Cocceiani rerum Romanarum libri octoginta ab Immanuele Bekkero recogniti. Lipsiae 1849."

3) „Histoire Romaine de Dion Cassius . . . Par E. Gros. Ouvrage continué par V. Boissée. Paris 1845—1870."

4) „Dionis Cassii Cocceiani historia Romana. Cum annotationibus Ludovici Dindorfii. Lipsiae 1863—1865."

modo huic loco medicinam adhibere posset. Neque vero hoc ei contigisse puto. Deos enim superos invocantium mos erat, ut manus tollerent, Caesari autem in solio sedenti supplicantem illum regem Arvernorum manus tollere non oportuit. Immo putes eiusmodi gestum prorsus alienum fuisse a moribus Vercingetorigis, qui ne supplex quidem regium habitum deposuit. Eadem de causa auxilio, quod nobis Homerus afferre videtur (χεῖρε πετάσσας, Od. ε, 374, 1, 417, Il. Ξ 495) uti non poterimus, praesertim cum neque πετάσας neque compositum ἐκπετάσας, quod alii scriptores prosae orationis crebrius quam verbum simplex adhibent, apud Dionem inveniatur. Grosius auctor est in codice Vat. 993 scriptum esse πιέσας, quam lectionem ille „très bon pour le sens“ dicit. Equidem ei assentiri nequeo, quamvis recentiores editores illam lectionem acceperint et Napoleo[1]) quoque in rebus Caesaris describendis eam secutus narret: „der gallische Führer fiel vor Cäsar auf die Knie und flehte ihn durch Händedruck an, ohne ein Wort hervorzubringen“. Quid? Caesaris manus ille supplex Vercingetorix presserit? Nam πιέζειν est premere, non stringere et contorquere manus, quod Sturzius[2]) vult. Immo unus gestus, qui ad Vercingetorigis condicionem convenire mihi videtur, is est, quem Graeci γουνάζεσθαι vocant. Videamus, quae verborum emendatio eiusmodi condicioni respondeat. Accedit res non parvi momenti. Dio hoc loco et in l. 58 c. 18 forma ἐδέετο pro ἐδεῖτο utitur, quod iam Dindorfio tam non placuit, ut illud vocabulum utroque loco in ἐδεῖτο mutaret. Magis etiam illo inusitato vocabulo mirum mihi videtur, quod verbum δέομαι hoc loco absolute adhibetur, cum nullus alius locus eiusmodi usum approbet. Namque δέομαι nusquam significat supplicem esse, sed petere aliquid ab aliquo, et plane desunt hoc loco ea verba, quae dicant, quid petiverit et a quo. Cum autem antea Vercingetorix narretur omnino nihil dixisse, idem petiisse ita, ut verbum ἐδέετο significat, putari non potest, sed nonnisi tacito gestu usus Caesarisque genua amplexus esse.

---

[1]) „Geschichte Julius Cäsars. Autorisierte deutsche Übersetzung“. Wien 1865. II, pag. 303. — cf. Addenda II.

[2]) „Dionis Cassii Cocceiani historiarum Romanarum quae supersunt“ ed. Fridericus Guilielmus Sturzius. Lipsiae 1824—1843.

Itaque propono hanc lectionem: πεσὼν δὲ ἐς γόνυ τὼ χεῖρε Καίσαρος ποσὶ προςέθετο. Nam Καίσαρος post χεῖρε omissum esse verisimile putes, nec minus ποιήσας ἐδέετο ex ποσὶ προςέθετο ortum esse, qua re etiam illud ἐδέετο cur hoc loco pro ἐδεῖτο positum sit facilius intellegamus. Neque quisquam offendi potest, quod pedes hoc loco pro genibus vel cruribus ponuntur, cum hoc apud scriptores et Graecos et Latinos non minus saepe factum esse videamus, quam manus pro brachiis, velut hoc eodem nostro loco. Verbum προςτίθεσθαι denique explicant lexicographi alicui aliquid de se inferre, velut πόλεμον προςτίθεσθαι apud Herodotum. Conferas apud Dionem nostrum l. 42 c. 3: προςτρόπαιον καὶ ἑαυτοῖς καὶ τῇ Αἰγύπτῳ πάσῃ προςέθεντο. Non dubito igitur huius verbi propria vi hoc loco uti.

In l. 41 c. 44 lectionem codicum τό τε καινὸν τοῦ πολέμου cum vertat „il tempo della guerra“ Leonicenus recte emendavisse mihi videtur; nam legendum est τόν τε καιρὸν τοῦ πολέμου, quod etiam in codice Vaticano 144 inveniri Grosium fugit. Leonicenum autem non hunc codicem in vertendo secutum esse infra demonstrabo.

In l 42 c 5 Med. 70, 8, Vat. 144, Par. 1690, quod Grosius dicit, habent: νικήσας μὲν πολεμῶν πολλὰς ἐν τῇ Ἀφρικῇ, πολλὰς δὲ καὶ ἐν Ἀσίᾳ τῇ τε Εὐρώπῃ, ceteri codices: νικήσας πολέμους μὲν — πολλοὺς δέ. Parum accurate Grosius codicum lectiones enumerat; nam R. Stephanus, qui codicem Par. 1689 magna fide sequitur, habet: καὶ νικήσας πολλοὺς μὲν ἐν τῇ Ἀφρικῇ, πολλοὺς δὲ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τῇ τε Εὐρώπῃ παραδόξους — ἀνελόμενος, et quod dicit: „je suis pour ce passage la leçon de Robert Estienne“, id non ad textum Stephani, sed ad eius castigationes referendum est (καὶ νίκας πολλὰς μὲν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, πολλὰς δὲ etc.). Leonicenus: „il quale haveva ottenute tante vittorie ed in Africa e nella Asia e nella Europa“, id quod Dionem dicere voluisse perspicuum est. Dindorfius habet: καὶ νικήσας μὲν πολέμῳ — πολλὰς ἐν τῇ Ἀφρικῇ, πολλὰς δὲ καὶ ἐν Ἀσίᾳ etc., lacunam post πολέμῳ esse ratus, quod mihi non necessarium videtur. Henricus Stephanus sequitur Roberti coniecturam, quam etiam Reimarus, Sturzius, Bekker accipiunt. Mirum est, quod Reimarus ad hunc locum dicit: „Codex V. a (id est Venetus 395) videtur Roberti emendationem comprobare“, cum hic codex a libri 44 c. 35 demum exordium sumat (cf. Gros, tome I, pag. XLI; Boissevain, de Cassii Dionis libris manuscriptis, Mnemosyne

1885, pag. 329). R. Stephanus emendans hunc locum hac ratione utitur: „Cum imperitus scriba νίκας παραδόξους dici posse non crederet, ex nomine insertis duabus literis fecit participium et ex πολλὰς — πολλούς“. Hoc satisne recte conclusum sit dubito; nam si scriba ille imperitus νίκας παραδόξους falsum putavisset, παραδόξας opinor scripsisset nec plura mutavisset. Neque vero R. Stephanus illam sententiam obtinuisset, si ceterorum lectiones codicum cognovisset. Cum enim omnes codices et in eis, si Grosio fidem habemus, Med. 70, 8 melioris notae praebeant νικήσας, nescio an de errore scribae cogitare nobis liceat, sed hoc participium servandum esse puto. Minus confirmatum est vocabulum πολεμῶν, quod plurimi codices, in quibus Med. 70, 10 auctoritate quadam non carens, mutant in πολέμους neque ego servare velim, quod πολεμῶν post νικήσας omni vi careret. Itaque emendo: νικήσας μὲν πολέμους πολλοὺς ἐν τῇ Ἀφρικῇ, πολλὰς δὲ καὶ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τῇ τε Εὐρώπῃ νίκας παραδόξους ἀνελόμενος. Cum enim etiam alio loco apud Dionem (76, 10) legamus: τοὺς πολέμους δι' ἑτέρων νικῶν, hoc quoque loco non offendor eiusmodi dicendi genere. In posteriore parte substantivum νίκας (πολλὰς pro πολλοὺς substituens) apposui; nam etsi πόλεμον ἀνελέσθαι et Dionis et aliorum scriptorum locis[1]) confirmatur, tamen hoc magis ad bella suscipienda quam ad feliciter componenda referendum et ob eam rem huic loco minus concinnum videtur, praesertim cum νίκας ἀνελέσθαι saepius[2]) apud Dionem inveniatur.

Depravatum est etiam quod in l. 48 c. 21 codices praebent: τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀμελεῖσθαι. R. Stephanus, Leunclavius, Reimarus, Sturzius emendant: ἀφελέσθαι, Xylander, Grosius, Bekker, Dindorfius ἀνελέσθαι, Wagner vertit „seinen Kopf auszugraben“, Xylander: „caput effossum“, Leonicenus: che armasse il capo suo. Utcunque hic locus emendatur, sensus semper idem est, qui in Wagneri quoque et Xylandri versionibus apparet. Leonicenus autem

[1]) 42, 20, 2: τοὺς γοῦν πολέμους . . . καθ' ἑαυτὸν ἀνείλετο. 48, 12, 4: τὸν πόλεμον αὖθις ἀνείλοντο. 50, 3, 2: τόν τε πόλεμον ἀνείλετο. Xen. An. 5, 7, 27: οὐκ ἔσεσθε κύριοι ἀνελέσθαι πόλεμον. Her. 5, 36: οὐκ ἔα πόλεμον βασιλέϊ τῷ Περσέων ἀναιρέεσθαι.

[2]) 43, 41, 2: ταύτην τὴν νίκην ἐσχάτην ἀνείλετο. 43, 44, 4: ὅταν νίκην τινὰ τοιαύτην ἀνέλωνται.

quid cogitaverit vertens hunc locum, omnino non video; neque enim ullam significationem verbi Italici „armare“ invenire potui, quae huic loco conveniat, nisi forte Leonicenus Sextium putavit a tauro illo iussum esse suum ipsius caput armare, quod et a verbis sequentibus ἐπὶ κάμακος φέρειν plane abhorret et praeterea nescio an insolentius dictum sit. Atque adeo putem illum, cum verba codicis omnino non intellegeret, temere illo vocabulo usum esse. Hoc enim minime abhorret a Leoniceni genere dicendi, de quo infra dicam. Quod attinet ad emendationem huius loci, praeferam ἀνελέσθαι. Nam in vocabulo ἀφελέσθαι inest praecipue significatio amovendi idque per vim vel iniuriam, quod alienum est ab nostro loco. Ἀνελέσθαι autem hic significat ex humo in lucem proferre et sibi sumere. Coniectura Oddeii, quam Reimarus affert, τημελεῖσθαι = caput curare, mihi neque ex sensu loci defendi posse videtur neque etymologice, cum illud vocabulum apud alios nunquam genere verbi medio flexum, apud Dionem omnino non inveniatur.

Leonicenum verba quidem Dionis libere reddidisse, sententiam vero plerumque intellexisse, videmus etiam in l. 50 c. 20. Codices habent: οἵ καὶ πρὶν κρατῆσαί τι πεποιηκότες, quod Leonicenus reddit: „che feciono molta crudeltà avanti che fussino vincitori“. Cum enim antea interrogatum sit: Num victores illi in nos clementer consulent? nihil aliud sequi potest, quam quod significat: qui nondum parta victoria inclementer egerunt. Quod autem Sturzius ad hunc locum annotat: „nihil mutandum videtur, modo τι explicetur ‚aliquid gravius‘. Saepe enim δεινόν vel simile omittitur, ut apud Demosthenem p. 555, 11“ — probare nequeo. Cum enim antea vocabulo φείσονται respondeat μὴ πεφεισμένοι, deinde verbis ἀφέξονται τῶν ἡμετέρων — δεδασμολογηκότες, fieri non potest, quin etiam vocabulo φιλανθρωπεύσονται certum aliquod verbum neque gravitate quadam carens opponatur. Sturzius, Bekker, Dindorfius ob eam rem pro indefinito interrogativum τί posuerunt, Leunclavius autem coniecit: τοιάδε. In utraque lectione igitur cum mihi sani aliquid inesse videatur, legere velim: ποῖα οὐ, quae vocabula ante πεποιηκότες facile omitti potuerunt. Nec vero vocabulum τι omittendum puto, quod optime ad κρατῆσαι convenit (priusquam ullam victoriam pepererunt), ut textus hoc modo constituatur: οἵ καὶ πρὶν κρατῆσαί

τι ποῖα οὐ πεποιηκότες; — Hoc loco non omittam coniecturam a viro doctissimo quodam mihi propositam: τί πολέμιον οὐ πεποιηκότες. Quae adiuvari videtur nonnullis locis, velut 37, 7 οὔτε πρὸς τὸν Φραάτην πολέμιον τι ἔτ' ἔπραξε, 71, 12: μηδὲν ἔτι πολέμιον — πρὸς τοὺς Ῥωμαίους πρᾶξαι, fr. 74 (apud Dind.) καὶ πολέμιον οὐδὲν ἀποδεδειγμένον εἶχε, 42, 9 μηδὲν ἔτι πολέμιον καταλείπεσθαι νομίζων. Sed in duobus horum locorum (fr. 74 et 42, 9) πολέμιον significat πολέμιον χωρίον, quod ad nostrum locum non convenit, in duobus ceteris pariter quidem ac nostro loco infestum aliquid factum esse narratur, sed simul additur, in quem infestum illud factum sit, cum nostro loco hic necessarius terminus prorsus desit. Qua de causa dubito illud de hoc loco acute coniectum accipere; certe ἡμῖν vel πρὸς ἡμᾶς vel simile aliquid adiectivo πολέμιον apponendum esset.

In l. 52 c. 14 denique R. Stephanus ipse dicit etiam apud Leonicenum lacunam esse.

Horum igitur locorum ex nullo effici posse mihi videtur a Leoniceno unum ex eis codicibus, qui hodie quoque extant, omnino non posse esse translatum. Immo vero libere eum atque interdum parum diligenter verba Graeca reddidisse cum ex aliis tum ex his locis potest intellegi. In l. 37 c. 37 scriptum est: οὐδ' ἔμελέν οἱ τῆς αὐτίκα ταπεινότητος πρὸς τὴν ἐκ τοῦ ἔπειτα ἰσχύν· ἀλλ' ὧν ἐπεχείρει πρωτεῦσαι, τούτους ὡς καὶ κρείττονας ὑπήρχετο. Tota autem Leoniceni versio constat ex his verbis: „non faceva stima di humiliarsi nel principio pur che potesse dipoi signoreggiare li altri". Non dubium est, quin his verbis sensus totius loci contineatur, verborum Dionis autem parum ratio sit habita. In l. 39, 20 codices partim ἀκούσασθαι θέλοντες, partim ἀκέσασθαι θελήσαντες praebent, quae verba Leon. prorsus praetermittit. In l. 39, 35 vertit „Nino" pro Ninnio, in eiusdem libri c 45 et 47 vertit „Idiux", ubi codices Ἰδουῖξ pro Οὐιριδουίξ praebent (fortasse primas literas huius nominis proprii Ουιρ — existimantes Latinum nomen appellativum „vir") et „Teveri", ubi in codicibus Τριηρῶν (apud R. Steph. Τριήρων, quod Grosius omittit) est pro Τριουήρων sive Τρεουήρων. In l. 39 c. 50: ὡς ἕκαστοι σχολῆς ἢ καὶ φιλολογίας εἶχον, Leon.: „ma seguitando alcune conietture e ragioni assegnate d'altrui". In l. 40, 27 textus verba praebet: ἀμύναντές σφισι, quae Leonicenus

omittit. — Omnes hos errores, quos multis aliis augere possum, alicui codici mirum in modum mendoso tribuendos esse mihi multo minus verisimile videtur, quam illo tempore, quo tum primum versiones veterum auctorum eaeque plurimae in lucem prodierunt, in vertendo diligentiam minorem esse collocatam, quod criticorum ars minus metuebatur.

Quod si nunc quaerimus, quisnam codex Leoniceni fuerit, imprimis nobis in mentem venit illorum duorum Venetorum 395 et 396, cum Venetiis Leoniceni versio edita sit. Videamus, hosne ad codices illa versio referri possit. In l. 52, 20 est lacuna apud Leonicenum: „per la altezza del nome suo * e dimorando un certo tempo in vita privata etc.“ Haec lacuna in eis numeranda est, quas deficiente Veneto 395 codices deteriores maxime ex Xiphilino explent (cf., quae infra de hac re dicam). Non recte Grosius dicit, lacunam illius codicis vocabulo νομίσῃς finitam esse, cum codex a verbis (φρονή-)ματι γενόμενοι demum rursus incipiat (cf. Boissevain pag. 330). Signum lacunae autem invenitur (cf. Grosii notam ad hunc locum) etiam in codice Parisino R. Stephani, in Vat. 993, in Taur. 76, in Med. 70, 10. Verisimile putes, librarios horum codicum signo lacunae notare voluisse illam in Ven. inventam, quam ipsi expleverunt, lacunam. Leoniceni versio incipit a libro 37, Med. 70, 10 autem a libro 42 demum; de hoc igitur non amplius cogitandum est. At cod. Taur. 76 in initio non minus quam in fine cum Leoniceno consentit. Sed hic quoque a Leoniceno alienus est. Nam in l. 37, 49 in Taur. desunt verba καὶ τὰ πεπραγμένα αὐτῷ πάντ' ἐπικυρωθῆναι. Leonicenus autem: „e che tutte le cose fatte da lui fusseno confirmato dal senato“. Deinde in l. 37, 56 in Taur. desunt verba: καὶ ὑπὲρ ἀμφοτέρους τιμηθήσεσθαι. Leonicenus autem ea reddit: „e che sarebbe honorato sopra tutti dui“. Eadem verba desunt in cod. Vat. 993. Hic codex in l. 40, 3 pro καὶ κατέδεισαν habet κατέδυσαν, Leonicenus autem: „allhora i barbari temerno“; item in eiusdem libri c. 14 καὶ τὴν Μεσοποταμίαν σατραπίαν κατέσχον pro σατραπείαις, ubi Leon.: „occuporono la Mesopotamia con satrapi“. In c. 28 Vat. habet ἀφ' οὗπερ Κράσσος pro Κάσσιος, Leon. autem „Cassio“. Nempe hic error codicum nonnullorum facile emendari poterat; in c. 29 enim in Vat. item Κράσσος scriptum, sed in margine Κάσσιος adscriptum

est, et hoc quoque loco Leon. „Cassio“ vertit. In c. 30 Vat.: ἀνέπεισε δι' ἄλλων, Leon.: per mezzo di messi (ἀγγέλων, quod alii codices habent). In c. 32 Vat.: οὐ μέντοι καὶ ἀπεχώρησε pro ἀπέχρησε, Leon.: „non si messono a rubare“. In c. 34 Vat.: πνεῦμα pro πνεῦμα μέγα, Leon.: „uno vento terribile“. In c. 47 Vat.: κύνας pro βύας, Leon.: „uno uccello sinistro“. In c. 48 Vat.: ὑπατείαν et in margine ὑπατεύων pro ὑπατείαν αἰτῶν, Leon.: „dimandavo il consulato“. In c. 49 Vat. omittit καὶ ἐπὶ τὸ βῆμα ἐπέθεσαν, Leon. autem vertit: „lo posono sopra di uno tribunale“. In c. 50 Vat. omittit καινοὺς post καταλόγους, Leon. autem habet „che facesse nuova raccoltà di soldati“. Haec exempla satis habeo afferre, ut demonstrem, Leonicenum illo codice Vaticano usum non esse. Restat ergo nullus nisi Stephani codex, praesertim cum ceteri primos libros a Leoniceno versos non contineant praeter codicem Venetum 396 aliosque, de quibus infra dicam.

Quod ad codicem Stephani attinet, admoneo primum de illo loco, quem supra commemoravi, l. 52, 20, ubi eadem lacuna et apud R. Stephanum, id est in codice eius, et apud Leonicenum invenitur. Deinde si ad l. 38, 2 transimus, ibi legimus scriptum cum in aliis tribus codicibus, tum in Stephani ἐπηγγέλλετο μὲν ἀεὶ αὐτῷ προβουλεύσειν, in ceteris autem ἐπηγγέλλοντο. Leon.: „sempre gli era risposto: noi ci consiglierono“, quod ad illam priorem lectionem convenit. Xylandrum[1]) hoc loco non omittam, qui vertit: „se autores legi futuros pollicebantur“, quod a lectione Stephani, cuius textum in linguam Latinam transtulit, discrepare videtur. In l. 38, 49 codex St. et Vesontinus quidam habent: τοιούτῳ τρόπῳ μάχῃ χρησάμενοι, alii codices τοιουτοτρόπῳ, Leon.: „essendo stato in questo modo di combattere“. Ad l. 39, 40 affert Grosius septem codices, qui praebent Αἴγρου pro Λίγρου. R. Stephani codicem omittit, quamquam apud illum Αἴγρου scriptum est. Leon. vertit: „le fece portare tra il fiume Ergo“, quod — vitiosum more Leoniceni — magis cum Stephani codice quam aliis congruit. Ad l. 39, 45 Grosius annotat, cum alios, tum Stephani codicem habere:

---

[1]) „Dionis Cassii Nicaei Romanae historiae libri (tot enim hodie exstant) XXV, nimirum a XXXVI ad LXI . . . de Graecis Latini facti Guilielmo Xylandro Augustano interprete. Basileae.“ (1558.)

ὡς τὰ πάντοτε ἔρυμα διασώσηται, et addit: „Xylandre avait deviné ἔρυμα“, cum Xylander Stephanum sequatur. Ceterum de Xylandro recte dixit, Stephanum autem video habentem: ἔρημα. Leon.: „tanto che la fortezza loro salvò ogni cosa“ i. e. ut fortitudo eorum omnia servaret. Hoc convenit magis ad lectionem Stephani; nam vocabulum ἔρημα Leonicenus non intellexit ideoque omisit in vertendo; si τὸ ἔρυμα in suo codice legisset, hoc reddidisset: il castello.

Huic loco depravato si mederi volumus, reminiscamur imprimis ea, quae Caesar ipse narrat, in Comment. de bell. gall. III, 17: „magna multitudo undique ex Gallia perditorum hominum latronumque convenerat, quos spes praedandi studiumque bellandi ab agricultura et quotidiano labore revocaverat. Sabinus idoneo omnibus rebus loco castris sese tenebat, cum Viridovix contra eum duum millium spatio consedisset quotidieque productis copiis pugnandi potestatem faceret, ut iam non solum hostibus in contemptionem veniret Sabinus, sed etiam nostrorum militum vocibus nonnihil carperetur; tantamque opinionem timoris praebuit, ut iam ad vallum castrorum hostes accedere auderent.“ Quod Caesar consulto ac cogitate Sabinum fecisse narrat, ut speciem timoris praebens opportunitatem aliquam expectaret, id Dio vero timore factum esse refert. Recentiores editores emendant: ὥστ᾽ ἀγαπᾶν ἐὰν (ἂν) τό γ᾽ ἔρυμα διασώσηται. Sed ita Caesar et Dio non solum de consilio Sabini, sed etiam de factis discreparent, quod equidem putare nolim. Nam si Sabinus castra sua defendere satis superque putavit, quod dicit Xylander, inde consequens esse mihi videtur, in illa castra incursionem factam esse. Quod neque Dio antea narrat et Caesar vel negat factum esse, cum hostes nonnisi ad vallum castrorum accedere ausos esse dicat. Puto enim Caesaris aliquantum interfuisse, ne periculum Sabini minus videretur. His de causis illam editorum coniecturam non probo, sed puto Sabinum eiusque milites iam primo concursu (τὰ πρῶτα) adeo perterritos esse, ut omnes in castra fugerent, et codicum lectione quam possum maxime conservata textum ita constituo: ὥστε πᾶν τότε ἐς τὸ ἔρυμα διασώζεσθαι (cf. in l. 36, 3 Bkk.: πᾶν τὸ νικῶν).

His locis, quibus alios addere possum, demonstrari potest, codices Leoniceni et R. Stephani non admodum inter se discre-

pare. Neque vero dicam, eundem codicem in utriusque manibus fuisse; sed cum Grosius auctor sit, codicem Venetum 396 non valde differre ab codice Stephani, quod Boissevain confirmat, nescio an hic Venetus Leoniceno praesto fuerit. Videamus, similisne textus huius codicis Leoniceni versioni haberi possit. In l. 40 c. 18 cum alii, tum ille Ven. habent δόρατος μικροῦ pro μακροῦ, Leon.: „hasta piccola“. In l 39, 62 Ven.: ἔξω τετῆς Ἰταλίας pro οἰκίας, Leon.: „non hebbe ardimento di partire fuora dell' Italia“. In l. 40, 2 Ven.: καὶ σουελλανόν pro Κασουελλανόν, Leon.: „havendo fatto suo capitano Suela“. In l. 46, 29 Ven. omittit verba καὶ τῇ τρίτῃ — λεχθέντων, quae Leonicenus quoque non habet. — Neque vero ex his locis certum quidquam concludere audeo. Aliis enim locis lectiones differre videntur (velut 52, 20, de quo supra dixi, 39, 13: Βερονίκη — „Berenice“, 40, 20: Ὀσροηνός — „Arroeno“, 40, 38: Νοουιδοουνόν — „Novinduno“ etc.).

Libros a Leoniceno versos etiam cod. Vesontinus continet. Hic omittit in l. 44, 46 verba: ὅτι οὐδὲν χείρων — ἔπραξε, quae Leon. vertit: „dimostrò non esser fatto peggiore niente in Alessandria ne esser dimorato longo tempo in essa per delitie. Imperò che come potrebbe egli havere fatto quelle coso si facilmente, se non etc.“. Aliis locis contra Leonicenus cum Vesontino consentit, velut in l. 45, 17 μετὰ Γαΐου υἱοῦ pro Οὐιβίου (Leon.: „con Gaio suo figliulo“) et τοῦ Ἰουλίου θύοντος pro τοῦ Οὐιβίου θ. (Leon.: sacrificendo Julio) etc.

Pariter in comparandis ceteris codicibus exempla possunt afferri Leoniceni versioni et congruentia et repugnantia, eaque non solum in codicibus deterioribus, sed etiam in Ven. 395 illo praestantissimo. Velut in illo l. 44, 46 et 45, 17 modo citato, non minus in l. 44, 52, ubi hic Ven. non, quod plurimi codices, omittit verba Κάσκας — ἐκ τῆς, et Leon. vertit: „Perche uno certo Gaio Casca tribuno intendendo come Cinna era stato morto per la similitudine del nome“, et in l. 45, 19, ubi verba καὶ λόγῳ — δεδωκότες in aliis codicibus, neque vero in Ven. 395 neque in Leoniceni versione omittuntur. Si denique codices in l. 46, 18 conferimus, invenimus in hoc Ven. scriptum esse Κερελλίαν (Gros), in altero Ven. autem Κελεαρίαν (Sturz), Leonicenum autem vertisse: „Cerealea“, quod ex his duobus lectionibus mixtum esse potest videri.

Duae res nos impediunt, ne, quo codice Leonicenus usus sit, asseverare possimus, et quod liberius atque adeo vitiose saepius vertit, et quod de lectionibus variis codicum Dionis nulla ad hunc diem certa expositio praesto est. De prioribus editoribus ut taceam, decet me hoc loco meritorum Boissevainii mentionem facere, qui, cum plurimos codices summa et diligentia et fide descripserit, tamen ad singulos locos rarius descendit, quam ut auxilium nobis afferre possit. Quod autem ad Grosium attinet, intellegas ex eis, quae nunc afferam, quae fides huius de textu relationi tribuenda sit. Ad l. 39, 50 (ὡς ἕκαστοι σχολῆς ἢ καὶ φιλολογίας etc.) Grosius affert complures codices, in eis R. Stephani, praebere ἑκάστης. Sed Stephanus habet ἕκαστοι. Eodem loco Grosius non videt Stephanum praebentem φιλοτιμίας pro φιλολογίας. Et tamen constat, Stephanum codicem suum in textu prorsus non mutavisse. Non minus falso de Stephani codice refert Grosius in l. 39, 56 (ἐνόσει pro ἐνόει), 40, 11 (Τρηουήριοι), 40 c. 20 (Ὀρροηνός), c. 25 (σκόπῳ). In l. 44, 52 Grosius codicem C (i. e. Vat. 993) et praebentium et omittentium verba Κάσκας — ἐκ τῆς codicum in numero refert. Item in l. 46, 18 Grosio auctore Stephani codex et Κερελλίαν et Κερεαλίαν praebet, cum hoc solum rectum sit, illud autem a Stephano in castigationibus suis postuletur. Ad l. 40, 15 Grosius dicit: „La leçon vulgaire ἀκοντόφοροι (sic!) se trouve dans A, G. Celle, que j'adopte (κοντοφόροι) est confirmée par Nic. Leoniceno: ‚et portano haste in mano'." Lectio ἀκοντοφόροι invenitur etiam apud R. Stephanum; ceterum non intellego, cur haec lectio minus quam Grosii versione Leoniceni confirmata sit. Ad l. 46, 23 annotat Grosius: „Après le mot πολυπραγμονεῖν il y a dans G (i. e. Vesont.) et dans K (Ven. 395) une lacune, qui s'étend jusqu'aux mots αὐτῆς τυχεῖν." Grosii fuit hoc loco nos ubi haec verba inveniantur docere, id quod non prius facit quam ad vocabulum τυχεῖν capitis 43, ubi dicit: „C'est à ce mot que se termine la lacune signalée au ch. 23." Nec vero initium nec finem lacunae diligenter notavit; nam lacunam illam incipere post verba τὸ δὲ, non post πολυπραγμονεῖν, et finem habere ante vocabulum αὐτῆς, non τυχεῖν, auctor est Boissevainius l. c., qui codicem Venetum multo accuratius Grosio contulit. — Haec exempla sufficiant ad fidem Grosii notandam.

Hoc unum denique verisimile dicas, codicem Venetum aut utrumque aut alterum in Leoniceni manibus fuisse. Utrum vero codd. huius aetate eodem modo obtruncati fuerint quo hodie annon, utrum quantumcunque Leonicenus a singulis codicibus differt vitioso vertendi generi tribuenda sit an nostro minori codicum notitiae, eo minus diiudicari potest, quod de hac re ex praefationibus ab aliis compositis omnino nihil cognoscimus.

Ego quae de Leoniceno scripta invenire potui, haec sunt. Natus est Niccolo Leoniceno, ut opinor, Vicetiae[1]), quam Itali „Vicenza“ vocant, anno 1428. Clarus ille Ognibene da Lonigo magister ei literarum Graecarum et Latinarum fuit. Cui cum Latina lingua Omnibonus Leonicenus nomen inditum esset, fieri potuit, ut quidam scriptores etiam Nicolaum Leonicenum in oppido „Lonigo“ prope Vicetiam sito natum esse putarent. Haec vero sententia cum mihi minime probatur, tum etiam prioris iam aetatis viris doctis refellenda est visa. Tiraboschi[2]) enim (pag. 483 seq.) haec dicit: „Angiolgabriello da S. Maria carmelitano scalgo . . . impiega più di quattro pagine a provare che Niccolo non fu già detto Leoniceno, perchè fosse nato del castel di Lonigo, ma perchè era della nobil famiglia di tal cognome da Vicenza. Intorno a che io son ben lungi dal voler con lui contrastare“. Quibus causis Angiolgabriello nitatur me fugit, cum liber eius in manus meas non pervenerit; tamen maxime hac de causa ei assentior, quod mihi prorsus alienum videtur putare, Nicolaum patriam suam nomine „Leonicen*o*“ significare voluisse; aut lingua Italica „Niccolo da Lonigo“ aut Latina „Nicolaus Leo-

---

[1]) Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Latina mediae et infimae aetatis IV. Hamb. 1735, pag. 787: Nicolaus Leonicenus Vicentinus. — Cf. etiam Fabricii Bibl. Graec. vol. XIII, Hamb. 1726, pag. 347, ubi Vincentinus appellatur. — Utroque loco Fabr. nonnisi de medico Leoniceno agit.

[2]) Storia della letteratura italiana del Cav. Abate Girolamo Tiraboschi VI, 2. Firenze 1809, ubi quidquid de Leoniceno ei notum erat diligenter narrat. Addere velim, quae in vol. VII, pag. 1385 inveniuntur: „(Giraldi) vuole, che tra' poeti si annoveri anche Nic. L . . . . e afferma che negli anni sui giovanili avea egli talvolta improvvisato felicemente.“

nicen*us*“ appellari potuit; minime verisimile autem putes eum primum a patria cognomen Leonicenum accepisse, deinde hoc cognomen Latinum Italice „Leonicen*o*“ reddidisse. Neque enim hoc philologorum illius aetatis erat. — Nicolaum Leonicenum postea Patavii philosophiae et medicinae studiosum fuisse idem Tiraboschi est auctor et anno 1464 Ferrariam se contulisse ibique, dum decessit anno 1524, iuvenes mathematicam et philosophiam docuisse. Multos eosque de variis rebus composuit libros, e quibus hoc loco nonnisi scriptores ab eo in linguam Latinam aut Italicam translatos commemorare mihi licet, Galenum, historiam Cassii Dionis, dialogos Luciani, Procopii bellum Goticum.[1]) Nec vero ex ulla re concludere possum, quo codice Dionis historiae usus sit. Hoc unum cognita eius vita mihi apparuit, mirum non esse, cur vir ille tantae tamque variae scientiae, qui, cum maxime in arte medica et mathematica, in naturali historia et philosophia versaretur, quantulumcunque otii ei restabat, vertendis scriptoribus Graecis impertivit, hoc libere atque interdum parum diligenter fecerit. Ceterum ne quis hac de causa minoris eum faciat, conferat verba Pauli Jovii (elogia doctorum virorum. Bas. 1556), quae Tiraboschi l. c. affert: „(Il Giovio) aggiugne che ei fu uomo parchissimo di sonno e di cibo, d'illibati costumi, spreggiatore delle ricchezze, e che non conosceva pur le monete, tale in somma che sarebbe stato creduto uno stoico, se non avesse sempre mostrato un sembiante lieto e piacevole“.

Quod attinet ad praefationes, quas supra commemoravi, Leonicenus non ipse Cassium Dionem a se versum edidit, sed post eius mortem Joan Fortunato quidam, cuius in manus casu aliquo Leoniceni opus incidisse videtur. Bernardino Barboio quidam librum duci Herculi Estensi dedicavit. De utroque horum nihil amplius potui indagare. Leoniceni nomen nusquam nisi in titulo scriptum legitur. (cf. Addenda, I).

Roberti Stephani editio Lutetiae anno 1548 eodem in volumine ac Dionysii Halicarnassii historia impressa e codice Pari-

---

[1]) Cf. etiam quae dicit Jac. Phil. Bergomas in supplemento suo chronicarum (Ven. 1513), pag. 333.

siensi 1689 emanavit, quem ipse Stephanus valde mendosum et accuratam diligentemque castigationem desiderantem appellat. Prima capita huius editionis continent fragmentum καὶ ὅτε ἰσχυρᾷ τῇ τύχῃ ἐπ' ἀμφότερα ἐχέχρητο — ὁμοίως ὀλίγου διεφθάρη, quibus a verbis etiam Vat. 144 et 993, Ven. 396, Par. 1690, Vesontinus exordium sumunt. In titulo huius fragmenti sunt apud Steph. haec scripta: Ταῦτα ἐν τῷ ἡμετέρῳ ἀντιγράφῳ τοῦ λϛ' βιβλίου προτίθεται, ἀποσπασμάτια τινα, ὡς οἶμαι, ὄντα τοῦ λέ βιβλίου. Non dubium igitur est, quin in codice Roberti hoc fragmentum libro 35 tributum sit. Sequuntur hanc sententiam Xylander, H. Stephanus[1]), Leunclavius. Reimarus vero et Sturzius dicunt, fragmentum illud recte a viro quodam docto N libro 36 addici. Quod idem faciunt Grosius, Bekker, Dindorfius, discrepantes a prioribus editoribus in eo, quod fragmentum quoddam duorum capitum (φείδεται—προσχωρήσαντας) non ut priores post fragmentum καὶ ὅτι ἰσχυρᾷ neque ab initio libri 36, sed ante hoc fragmentum ponunt auctoritate Xiphilini moti, quem ordinem Dionis accuratissime in excerpendo secutum esse dicunt. Videamus, utras partes sequamur.

Rationes ad suam, quam modo commemoravi, de fragmento καὶ ὅτι etc. sententiam Xylander has affert: „Cum enim quae libro 36 Dio scribit acta sint consulibus C. Calpurnio Pisone M.' Acilio Glabrione, qui annus Romae fuit 687, in hoc autem fragmento et eorundem pars exponatur, et prius quae Q. Marcio consule gesta sunt, qui sane anno proxime priori i. e. ab U. C. 686 consulatum gessit, satis iam ex ipsa serie temporis liquet, quo de libro fragmentum superstes manserit“. His rationibus ipsam contrariam sententiam probari iam Reimarus recte dicit; nam ipsa continuatione temporum illud fragmentum magis 36. quam 35. libro tribuitur. Ceterum Xylandrum puto magis illi sententiae obstare voluisse, ex qua fragmentum illud etiam priori quam 35. libro quispiam adscripserit. Reimarus autem, quem Sturzius sequitur, illud fragmentum in l. 36 collocare mavult „quia alias ille liber (36) vix ultra unius anni res gestas complecteretur et praeterea inciperet ab extremo tempore consulatus

---

[1]) „Dionis Cassii Romanarum historiarum libri XXV ex Guilielmi Xylandri interpretatione. Excudebat Henricus Stephanus anno MDXCII.“

Acilii et Pisonis et brevissimus esset". His verbis assentiri non possum his de causis. Minus accurate Reimarus dicit, capitibus 37 libri 36., si a verbis λέξω δὲ demum inciperet, vix ultra unius anni res gestas contineri. Immo vero complectitur maior pars illorum 37 capitum (capita 21 et dimidium) res anno 687 gestas, minor autem (capita 15 et dimidium) omnes res anno 688 gestas. Quod si Reimaro haec 37 capita ad explendum librum non sufficiunt, augeat numerum hunc addendo numero eorum capitum, qui ante λέξω δὲ omissa esse putari possunt. Cum Reimarus ipse dicat in uno et viginti capitibus nonnisi „extremum tempus consulatus Acilii et Pisonis" descriptum esse, ex eius sententia concludendum est non parvum numerum capitum evanuisse, ut, si non plus quindecim capita ad illa 37 addemus, quinquaginta duorum numerus compleatur, quem plurimi libri non excedunt. Atque adeo metuo, ne additis ad haec 52 capita 18 fragmenti καὶ ὅτι ἰσχ. maiorem quam pro magnitudine unius libri capitum numerum consequamur. Nec magis mihi probatur sententia Grosii, qui res illo fragmento enarratas reliquis libri 36. capitibus lacuna parva interposita artius coniunctas esse putat, quam ut alii libro tribui possint. Si enim libros 41. et 42. conferemus, his videbimus non plus trium annorum res descriptas esse ita, ut liber 41 medio anno urbis 706 desinat et liber insequens interruptam enarrationem continuet nulla lacuna interposita. Neque illam qua Grosius nititur iuncturam tam artam puto, cum inter bella a Lucullo et a Pompeio contra Mithridatem gesta huius bello piratico facta narrentur. Quamvis magni igitur auctoritatem illorum virorum doctissimorum faciam, tamen me permovere non possunt, ut in hac re a sententia eius abeam, qui illa quae dixi verba codici Roberti praescripsit.

Iam mihi agendum est de fragmenti φείδεται κτλ. loco, quem nonnulli editores ex auctoritate Xiphilini mutaverunt. Videamus, quae rationes auctoritati huius obstent. Magni mihi ad hanc rem momenti esse videtur, quod omnes ad unum codices, qui quidem haec fragmenta continent, fragmentum φείδεται post fragm. καὶ ὅτι ἰσχ. ponunt. Deinde nonne ea, quae initio fragmenti λέξω δὲ ἤδη etc. narrantur (c. 20 Bkk.), pertinent ad extrema verba fragmenti φείδεται —? Mihi quidem contextus horum verborum (ὁ γὰρ

Πομπήϊος ἀναπείσας — προαφείλετο αὐτοὺς ὡς — προςχωρήσαντας) cum illis (λέξω δὲ ἤδη τὰ κατὰ τοῦτον [sc. Πομπήϊον] πῶς ἐγένετο) tam artus esse videtur, ut non dubitem eos inter se coniungere nulla lacuna interposita, id quod iam R. Stephanus fecit. Quae cum ita se habeant, valde miror, quod Bekker et Dindorfius fragmentum καὶ ὅτι ἰσχυρᾷ etc. ante verba λέξω δὲ ἤδη nullo lacunae signo apposito locaverunt quasi cum his cohaerens.

Ceterum, quid de illa auctoritate Xiphilini dicam? Conferas, quae Nicolai (III, 115) de eo dicit: „Doch läßt seine Anordnung die Strenge der chronologischen Abfolge vermissen .... Bezeichnend ist sein Hang, den römischen Historiographen zu tadeln und zu berichtigen, wohl auch gelegentlich mit anderen Gewährsmännern zu ergänzen". Et Boissevain l. c. dicit: „Xiphilinum potius accusatum oportuit (sc. quam Dionem ipsum, quod Reimarus facit p. 1541); nam ubique videmus Byzantinum hominem levem et futilem huiusmodi narratiunculas sedulo conquirentem, cum res gravioris momenti in breve contrahat aut omnino omittat". Et quid ex auctoritate Xiphilini cogi possit? Nihil opinor amplius quam hunc, qui septem fere seculis post Dionem vixit, codice aliquo usum esse, qui sive casu aliquo sive certa ex ratione alium ordinem rerum praebuit ac nostri codices; horum ordinem autem peiorem esse quam Xiphilini nescio quomodo demonstrari possit. — Iam in chartam coniectis his observationibus libellus ille Boissevainii in meas manus pervenit. Qui cum ipse codicem Med. 70, 8 et. Vat. 144 ex illo descriptam denuo inspexisset, potuit confirmare neque in utroque codice ullam lacunam inveniri ante λέξω δὲ κτλ. et in cod. Vat. (et in Med. nondum mutilo) fragmentum φείδεται post fragm. καὶ ὅτι ἰσχ. positam esse.

Roberti codex historiam Dionis continet usque ad finem libri duodesexagesimi, id est sexagesimi, cum libri quattuor ultimi 57—60 in duos 57 et 58 contracti sint. Idem factum est in ceteris ad hos libros pertinentibus codicibus. Hunc errorem primus Xylander emendavit his rationibus motus. Primum titulo libri 57 index adiunctus est, cuius ultima verba sunt: ὡς Δροῦσος Καίσαρ (sic) ἀπέθανεν. Hoc factum autem nobis iam in capite 22 libri

57 narratur, cum hic liber in fine apud R. Steph. mortem imperatoris Tiberii describat. Addo, id quod Xylander non commemorat, quod etiam 58. libri index apud R. Steph. in fine haec verba habet: ὡς Γάϊος Καίσαρ ἀπέθανεν, cum hoc iam capitibus 29 et 30 huius libri narretur, ultima capita autem de morte imperatoris Claudii agant. Deinde ex nominibus consulum initio 57. libri appositis concludendum est, hoc libro undecim annorum res contineri. Sed cum l. 56 usque ad mortem Augusti i. e. ad annum 74 pertineat, l. 57 autem R. Stephani mortem Tiberii i. e. annum 37 attingat, non ad totum hunc librum 57 illa temporum descriptio referri potest. Quod idem videmus in l. 58 Roberti, qui non solum reliquam partem anni 37 et tres alios deinceps annos usque ad 40 continet (de anno 41 postea dicam), id quod index consulum ab initio huius libri positus vult, sed usque ad mortem imperatoris Claudii, i. e. annum 54 producitur. Firmissimum denique argumentum capit Xylander ex his verbis, quae in consulum indice libri 58 R. St. leguntur: οὗτος ὁ ἐνιαυτὸς (sc. G. Caesaris Caligulae, Gn. Sentii Saturnini consulum i. e. 41) οὐ συναριθμεῖται διὰ τὸ τὰ πλείω αὐτοῦ ἐν τῷ ἑξηκοστῷ γεγράφθαι.

His mihi nonnulla addenda videntur. Dubium non est, quin Xylander recte illos libros ex quattuor in duos coactos esse intellexerit et quin ille, qui indices librorum 57. et 59., idem librorum 58. et 60. composuerit. Si autem de eis locis quaeremus quibus singuli libri dirimendi sunt, minus celeriter diiudicare poterimus, utrum Xylander in hoc recte egerit necne, praesertim cum suam librorum divisionem nusquam defendat. In hac re primum respiciendum est, quod in libro 57 index rerum cum catalogo consulum minus congruit quam in libro 59 Bk. = 58 St, Cum enim Drusus anno 23 mortuus sit, ei consules, qui in catalogo libri 57 postremi enumerantur, anno 25 magistratum inierunt. De fine igitur libri 57 R. St. quaerentibus nobis deliberandum est, utri indici rerum an consulum maior fides haberi possit, utrum, qui illos indices composuit, res annis 24. et 25. gestas minoris momenti putaverit an in enumerandis consulibus parum diligens fuerit. Idem de hac re ac Xylander cogitare mihi videor. Consulum enim nomina bina significant annum seriesque aliquot annorum indicatur serie totidem parium consulum, ita ut ne unum

quidem omittere possis, quin fidem et utilitatem totius eiusmodi temporum descriptionis tollas. De rerum vero indice eadem dici non possunt, cum hic nonnisi gravissimas res in libro perscriptas enumerare possit. Accedit res praecipue memorabilis. Liber 58 B. incipit: Ἀπεδήμησε δὲ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον (ὁ Τιβήριος) ἐκ τῆς Ῥώμης. Tiberium in Campaniam profectum esse anno 26 constat; quae autem ultimo capite libri 57 B narrantur, anno 25 facta esse collata hac narratione cum libro IV Taciti annalium intellegimus. Ergo illud „κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον" non ad res in fine libri 57 Bk. narratas referri potest, ut lacuna hoc loco constituenda sit, quae olim relatione rerum anno 26. et 27. gestarum, fortasse etiam 25., velut mortis Lentuli, expleta erat.

Codex Ven. 395 enim, ex quo ceteros codices hos libros continentes descriptos esse Boissevain auctor est, desinit iam in l. 57 c. 17 nec prius incipit quam in l. 58 c. 7. Lacunam autem maxime ex Xiphilino in ceteris illis codicibus expletam esse iam cognoverunt editores. Neque vero Xiphilini auxilio contenti esse possumus; nam hic quoque de rebus annis 26. et 27. gestis nihil tradit, nisi quae paucis illis verbis ἀπεδήμησε — ἐπαγγελλόμενος continentur. Et quod ab initio capitis 2. scriptum est: ἐν δὲ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ καὶ Λιουΐα μετήλλαξεν, cum hoc anno 29 factum sit (cf. Tac. ann. V, 1), res autem in c. 1 narratas anno 28. gestas esse constet, fieri non potest, quin etiam ante c. 2 lacunam constituamus. Quomodo autem hae lacunae ortae sint, utrum Xiphilino ipsi an eius codici iam depravato tribuendae sint, diiudicare non audeo; si in Xiphilinum ipsum culpa transferenda sit, levissimum hominem eum putemus, cum verba κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον et ἐν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ cum rebus coniunxerit, ad quas prorsus non conveniunt; ceterum Xiphilinus, etiamsi depravato quodam codice usus est, tamen omni crimine absolvi non potest.

Non minus laudandam puto Xylandri rationem in dirimendis libris 59. et 60. adhibitam, quae et ad rerum et ad consulum indicem libro 58. R. St. praepositum optime convenit. Nec vero hoc loco, ut post 57. librum, primorum verborum libri sequentis ad prioris extrema relatio desiderari potest; tamen verba, quae apud R. Steph. in titulo libri 58. apposita esse supra dixi (plurimas res anno 41 gestas libro 60 contineri) nos cogunt hic quoque

lacunam constituere, etiamsi nihil aliud archetypi amissum putamus nisi titulum libri 60 cum indicibus. Etiam hoc loco enim constat lacunam codicis Veneti (a l. 59, 25—60, 2) Xiphilini opera in ceteris codicibus expletam esse; neque hoc loco a Xiphilino res ulla maioris momenti omissa esse videtur. Plane perspicuum igitur est nonnisi Xiphilini culpa illam duorum librorum in unum contractionem factam esse, cum hic sua sponte librorum distinctionem prorsus neglexerit, quam antea factam fuisse Photius iam et Suidas auctores sunt, qui ante Xiphilinum fuerunt. Quam indocti autem ei fuerint, qui codices deteriores recentioris aetatis ex Veneto descripserunt, ex eo intellegi potest, quod amissis quibusdam Veneti foliis facere non potuerunt, ut ipsi ad libros 58 et 60 tales indices componerent, quales manus quaedam recentior ceteris libris in Veneto et in Med. 70, 8 praescripserat, sed temere paucis mutatis Xiphilini verba in textum receperunt.

Haec hactenus. Iam alia, quae de constituendis Dionis historiae partibus disserenda mihi videntur, in posterius differam et pauca de quibusdam locis addam.

In l. 36 Bk. c. 4 Dindorfius a plurimis ceteris editoribus discrepat. Cum enim Reimarus, Sturzius, Bekkerus, Grosius verba τόν τε τῆς Κομμαγηνῆς βασιλέα Ἀντίοχον cum sequente ἐδέξατο coniungunt, Dindorfius R. Stephanum secutus illa verba ex praecedente προσεποιήσατο pendere vult. Grosius et Dindorfius praeterea hoc loco fragmentum Xiphilino Λούκουλλος δὲ — προσεποίησε inserunt, ille ante verba, de quibus nunc agitur, hic ante initium fragmenti καὶ ὅτι ἰσχυρᾷ. Dindorfius rectius Grosio locum illi fragmento cepisse mihi videtur; c. 4 enim apud Dind. incipit: καὶ οἱ μὲν ταῦτ' ἔπραττον, Λούκουλλος δὲ Τιγράτην μὲν οὐκ ἐπεδίωξεν; unde efficitur, fugam Tigranis iam antea narratam fuisse, id quod fragmenti quoque illius ultima verba demonstrant (φυγόντος δὲ αὐτοῦ). Quod ad ipsum locum attinet, Reimarus et qui eum sequuntur nullo modo defendunt, cur R. Stephani interpunctionem non conservaverint. Tamen illorum praeferenda mihi videtur. Nam quamquam particula τε loco coniunctionis καί apud Dionem creberrime adhibetur,

tamen dispositio enuntiati utriusque postulat, ut τε sequenti καί respondeat:

I. 1. τὰ μὲν ἄλλα διηρπάσθη,
2a. τὰς δὲ γυναῖκας ἐφύλαξε
b. καὶ τοὺς ἄνδρας προςεποιήσατο.
II. 1. τόν τε τῆς Κ. βασιλέα Ἀντίοχον }
2. καὶ Ἀλχαυδόνιον } ἐδέξατο.
3. ἄλλους τε }

Nec vero me fugit, cur Dindorfius hoc loco a ceteris discrepet; particulam enim (si τε ad sequens καὶ refertur) iure desiderare videtur, quae secundum enuntiatum cum priore coniungat. Huic defectui ut medear, hanc propono lectionem: καὶ τοὺς ἄνδρας — προςεποιήσατο· τότε δὲ τόν τε τῆς Κ. βασιλέα κτλ.

In c. 23 eiusdem libri codices praebent ἄπιστον τὸν πόλεμον, quam lectionem Reimarus, Sturzius, Bekkerus retinent, cum alii, in his Dindorfius, eam mutaverint in ἄσπειστον. Illi recte quidem dicunt vocem ἄπιστος non solum personis, sed etiam rebus attribui posse, et Reimarus πόλεμον ἄπιστον explicat „bellum, quod cum minime caveres praeter fidem datam movebatur". Nec vero plus quam unum exemplum afferunt idque ex Plutarchi Numa 12: ὡς ἔκσπονδον καὶ ἄπιστον καὶ ἀκατάγγελτον ἐξενηνοχότος πρὸς αὐτοὺς πόλεμον. Utrum hoc loco ἄπιστον genuinum sit necne, non diiudicem; quod autem Reimarus putat ἄσπειστον pro ἄπιστον post ἔκσπονδον ‚minus concinnum esse, praesertim cum omnia ipsumque sequens ἀκατάγγελτον ad perfida belli initia, non ad diuturnitatem referantur", hoc mihi minime probatur. Nam vox ἔκσπονδος i. e. ἔξω τῶν σπονδῶν ἤδη γεγενημένων referenda est ad foedera iam facta, quos in bello imminente pugnaturi non curabunt (cf. ἔκνομος, ἔκνους, ἔκτοπος, ἔκθεσμος etc.), ἄσπειστος autem est πόλεμος, ἐν ᾧ οἱ πολεμῶντες οὐ σπείσονται i. e. quod bellum nullo componetur foedere, et pertinet ad foedera prorsus non facienda. Et cur ἄπιστος illo Plutarchi loco minus „ad diuturnitatem belli" referendum sit quam ἄσπειστος, omnino non intellego, cum ἄπιστος πόλεμος nihil aliud significare possit quam bellum fidei expers et illa quam modo attuli Reimari significatio nimis artificiosa esse videatur. Ceterum nonne τῷ ἀπίστῳ πολέμῳ opponendus esset quidam πόλεμος πιστός i. e., si mihi licet Reimari verba imitari, bellum, quod

caveri potuit et ab hostibus non praeter fidem datam agentibus sed fidem praestantibus movetur, — quod plane alienum? Atque illud ἀπροφύλακτον eundem sensum praeberet „cum minime caveres“, ut ἄπιστον post ἀπροφύλακτον et infirme dictum et temere repetitum putari possit. Equidem coniecturam ἄσπειστον valde probo propterea quod illa quattuor adiectiva nostri loci aptissime inter se cohaerent. Πόλεμος enim — haec videtur Dionis esse sententia — erit 1. μέγας i. e. ingens, si respicimus vires pugnantium sedemque belli latis finibus circumscriptam, 2. συνεχής i. e. ingens, si respicimus spatium temporis, tam ingens, ut neque certum initium belli inveniatur, cum non indicatur (ἀπροφύλακτον = ἀκατάγγελτον), neque finis ullus exspectari possit, cum foedus nullum iuncturi sint pugnantes (ἄσπειστος).

In c. 44 eiusdem libri codices et R. Steph. habent δοθῆναι, δόγματι κατ᾽ αὐτῶν γενέσθαι, sine dubio depravatum. Leunclavius conicit: δόγμα τε, Turnebus δόγμα τι, Reiske: καὶ συνέβαινεν ἂν (vel καὶ ἐκινδύνευσε) δόγμα τι, Sturzius: κἂν δόγμα τι κατ᾽ αὐτῶν ἐγένετο, Grosius: ὥστε καὶ δόγμα τι κατ᾽ αὐτῶν γενέσθαι, Bekker: ἔμελλε δὲ καὶ δόγμα τι, Dindorfius: ὥστε κἂν δόγμα τι. Xylander vertit: „quod a senatu Cottae Torquatoque addictum praesidium idque contra insidiatores fore edictum erat, nisi quis tribunus plebis intercessisset“, quod Leunclavius in margine corrigit: „et factum in eos senatusconsultum, nisi tribunus quidam etc.“ Redeo equidem ad Leunclavii et Turnebi coniecturas. Nihil esse puto, cur non infinitivus γενέσθαι pendeat ex praepositione διά pariter ac praecedens infinitivus δοθῆναι. Insidiatorum enim consilia cum aliis rebus tum eo irrita facta sunt, quod senatus iam in eos animadversurus erat. Cum autem hoc imminens senatusconsultum non verbotenus narretur, particulam τι Turnebi et enuntiata coniungendi causa particulam τε Leunclavii accipio. Sed lectio ita orta δόγμα τε τι, quamvis simplex sit, mihi propterea sufficere nequit, quod omnes praeter Grosium editores dubitaverunt particulam ἄν omittere in hoc enuntiato hypothetico. Me quidem non fugit, hanc particulam interdum a scriptoribus omissam esse (cf. K. W. Krüger, gr. Sprachlehre § 53, V, A. 5; R. Kühner, ausf. gr. Gr. II, 1 § 392a). Quod autem eiusmodi locum apud Dionem non repperi, mihi potius legendum videtur: δόγμα τ᾽ἄν τι. Particulam

ὥςτε denique propterea non in hunc locum convenire puto, quod non intellego, quomodo illud senatusconsultum manet ex praesidio consulibus addicto.

In l. 40 c. 15 R. Stephanus et codices habent: πολεμῆσαι δέ τισιν ἀπαυτίκα διαρκῶς οὐ δύνανται, καὶ ἐς ἀλλοτριωτάτην σφίσι καὶ τῆς γῆς καὶ τοῦ οὐρανοῦ κατάστασιν ἀπαρτῶνται, καὶ μήτε σίτου μήτε μισθοφόρου σκεύη ποιούμενοι. Hoc loco, quem Leonicenus libere vertit: „ma non sono sufficienti a perseverare nella battaglia longo tempo contra di alcuni e si perdono in una constitutione di aere e di paese molto alieno a loro e non hanno ne frumento ne vettovaglie" — editoribus eis assentio, qui ἀπαυτίκα mutant in ἀπαυστὶ καὶ et μισθοφόρου σκεύη in μισθοῦ παρασκευήν. dissentio autem de mutando vocabulum ἀπαρτῶνται in participium ἀπαρτῶντες. Genus activum enim huius verbi rarissime invenitur; in l. 51, 4 significat abesse neque, ut hic, cum termino in quem coniuncta est; ibi etiam Sturzius annotat: subaudi ἑαυτόν. Apud Thucydidem vero in l. 6, 21 iam Meineke pro ἀπαρτήσαντες posuit ἀπαντήσαντες, quod recentiores editores acceperunt. Itaque propono hanc lectionem, quam ad sensum optime convenire puto: πολεμῆσαι δὲ — οὐ δύνανται, ἄλλως τε κἂν ἐς ἀλλοτριωτάτην — ἀπαρτῶνται.

Addenda.

I. Ea, quam Reimarus commemorat, editio versionis Leoniceni (anni 1542) plane ab ea differre videtur, quae in meis manibus est, quod et alium praebet titulum et alius typographi prelum exercuit. Illa vero prima anni 1526 editio utrum cum mea congruat annon, minime liquet. In meae editionis (anni 1533) enim titulo scripta sunt haec verba: „nuovamente venuta in luce ne piu in lingua alcuna stampata." Falco autem versionem Leoniceni auctor est post huius mortem (1524) venisse in manus eiusdem Bernardini Barboii, qui praefationem meae editioni praepositam scripsit, et vulgatam esse Venetiis 1526. Aut hoc aut illud falsum putandum est. (Cf. ed. Sturzii, vol. VII, pag. 564).

II. Non omittam in fine huius libelli ea afferre, quae alii scriptores de Vercingetorigis adventu et gestibus tradunt (C. D. 40, 41). Plutarchus (Caes. c. 27) haec narrat: „καὶ κύκλῳ περὶ τὸν Καίσαρα

καθεζόμενον ἐλάσας, εἶτ' ἀφαλλόμενος τοῦ ἵππου τὴν μὲν πανοπλίαν ἀπέρριψεν, αὐτὸς δὲ καθίσας ὑπὸ πόδας τοῦ Καίσαρος ἡσυχίαν ἦγεν, ἄχρις οὗ παρεδόθη φρουρησόμενος ἐπὶ τὸν θρίαμβον." Florus III, 10: „Ipse ille rex, maximum victoriae decus, supplex quum in castra venisset, tum et phaleras et sua arma ante Caesaris genua proiecit: Habes, inquit; fortem virum, vir fortissime, vicisti." — Florus a Dione et Plutarcho in eo discrepat, quod Vercingetorigem loquentem inducit; sed et fides horum Floro praeferenda est et regem cum maiestate quadam silentem quam illa dicentem cogitare malim. Dio autem differt a ceteris, cum non referat Vercingetorigem arma sua deposuisse. Quod vero Dio alias quoque a Plutarcho narratas res hoc loco omittit, velut nescire videtur Vercingetorigem castra Caesaris circumequitavisse et deinde in castris de equo descendisse, Dio alio auctore ac Plutarchus in hac re usus neque in constituendo textu eiusmodi differentia respicienda esse videtur.



Berliner Buchdruckerei-Actien-Gesellschaft
Setzerinnen-Schule des Lette-Vereins.